Schellhass, Carl Gottlob 1776

Halle a/d.S.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE CRVDITATIBVS AC IMPVRITATIBVS PRIMARVM VIARVM.

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS
ET
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE CONSENSV
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO
POTENTISSIMO BORVSSOR. REG. A CONSILIIS AVLICIS
MEDICINAE, ANATOMIAE ET CHIRVRGIAE PROF. PVBL. ORD. FACVLTATIS
MEDICAE SENIORE ET H. T. DECANO ETC.

PRO

GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME CAPESSENDIS
DIE XVII. OCTOBRIS CIↃIↃCCLXXVI.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

CAROLVS GOTTLOB SCHELLHASS
IVNIOR.
WRATISLAVIA - SILESIVS.

HALAE AD SALAM, STANNO BEYERIANO.

Phoebe, fave. novus ingreditur Tua templa ſacerdos

TIBVLLVS.

VIRIS

PERILLVSTRIBVS, ILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS

MAXIMEQVE STRENVIS

DIRECTORIBVS CONSVLIBVS

SYNDICIS SENATORIBVS

CAETERISQVE

SENATVS WRATISLAVIENSIS

MEMBRIS

MERITISSIMIS

MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS

SVIS

OPTIMIS MAXIMIS

VT

PVBLICVM QVODDAM

GRATI SVI ANIMI

MONVMENTVM

EXTET

HASCE

SVAE JUVENTVTIS PRIMITIAS

CVM

ARDENTISSIMIS OMNIGENAE SALVTIS VOTIS

D. D. D.

HVMILLIMVS

AVCTOR.

NEC NON

VIRO

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

ATQVE DOCTISSIMO

MICHAELI MORGENBESSERO

MEDICINAE DOCTORI

COLLEGII MEDICI ET SANITATIS

QVOD WRATISLAVIAE EST

DECANO DIGNISSIMO

MEDICO WRATISLAVIENSI MILITARI PRACTICO

CONSTITVTO ETC.

PATRONO ET FAVTORI

SVO

PIETATE MAXIMA COLENDO.

HAS

PRIMITIAS LABORVM SVORVM

ACADEMICORVM

EA

QVA DECET ANIMI OBSERVANTIA

D. D. D.

ADDICTISSIMVS

AVCTOR

Vos MAECENATES, *Vos Illuſtresque* PATRONI,

Qui colitis THEMIDIS *ſplendida templa pie:*

Tuque MACHAONIAE *celebris, venerande* SACERDOS

Artis, res volvens, quas Medicina dedit:

Vos, inquam, iunctim tribuiſtis more paterno,

(*Publice confiteor*) *munera magna mihi.*

Sumite primitias, FAVTORES, *haſce laborum,*

Quas VOBIS *ſacro, ſumite mente bona.*

Hoc leve conamen, testis nunc integer esto,

Quotquot cor grates debeat hocce meum.

Hæc votiva calet VESTRIS *Virtutibus ara,*

Neque referre potest tot benefacta cliens.

Vobis Nestoreos, FAVTORES, *apprecor annos!*

Et VOS *&* VESTROS *protegat alma manus.*

O Placidi adsitis porro mihi: pectore grato

Hoc ego perpetuo VOS *pietate colam.*

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

CRVDITATIBVS AC IMPVRITATIBVS PRIMARVM VIARVM.

ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.

Perpendenti quantæ a læſa ventriculi potentia noxæ, quantæque calamitates contrahantur, haud ſane penitus deliraſſe ac a veritate deflexiſſe mihi viſi ſunt medici, qui omnia, quæ in corpore humano vel proſpera vel adverſa geruntur, in ventriculo ſolo ac in inteſtinis primum accendi ac poſita eſſe fuere arbitrati. Si-

quidem tanta morborum ex hoc communi fonte emanantium ſeſeque per totum corpus diffundentium eſt multitudo ac copia infinita, ut ſi omnes vellemus exponere, herculeo labore eſſemus functuri, noſtrasque vires longe ſuperante.

Interim quum plerique morbi primas ſuas origines cruditatibus, aut (quod fere idem eſt) ventriculi & inteſtinorum impuritatibus debeant, eorumque plurimi, iuſta ac idonea medela ſuffocari queant, ipſaque ægri vita dubia olim reſervari, operæ pretium me facturum eſſe exiſtimavi, ſi huius impuræ colluviei origines ac ſpecies traderem, debitamque illis medendi rationem breviſſime ſubiungerem.

Poſſunt vero iucundiora ac vtiliora alia repiriri; egoque vehementer dubito, vtrum ipſa ars emolumentum quoddam, quantulumcunque illud ſit, ex his meis laboribus ſit acceptura. Nec exiguus mihi fuit animus, quum *Berolini* ſub auſpiciis Cel. HENKELII chirurgiæ theoreticæ & practicæ, nec non præeunte Cel. WALTERO & Cel. MEIERO anatomiae operam darem, ex his Medicinae partibus thema quoddam elaborare. Verum id tamen certum eſt, multos adhuc eſſe Medicos, qui purgationum aluinarum effectus acerrimos eſſe exiſtiment, aegrosque, data purgante medicina neca-

necare putent. Id, quamuis olim quidem frequentius longe obinuit, expeditum tamen eſt, & hodie quosdam dari, in eandem erroris culpam incidentes. Quem enim fugit, medicinarum calefacientium, infinita arte praeparatarum, a PARACELSO, HELMONTIO, SYLVIO eiusque aſſeclis per totam Germaniam diffuſis, introductarum multitudo, quae quondam in omnibus morbis non laudatae ſolum, ſed etiam ac infauſto quidem vt plurimum cum ſucceſſu aegris datae ſunt? Reſtituere tranquillitatem feliciſſime profligatis tenebris BALLONIVS, SYDENHAMVS, BOERHAAVIVS, HOFFMANNVS, BRENDELIVS, STOERCKIVS, SCHROEDERVS, aliique viri iam eam ob cauſſam ſui nominis immortalitate digniſſimi, quod primarum viarum curationem iuſtam debitamque ab HIPPOCRATIS COI, cæterorumque priſcorum medicorum inde temporibus neglectam reſtaurauerint.

Habes hic *Beneuole Lector* opuſculum ex attenta librorum ab Illuſtribus his viris conſcriptorum lectione natum. Quod vbi vel quibusdam Medicis profuiſſe intellexerimus, non erit profecto, quod nos ſuſcepti huius noſtri laboris poeniteat. Etenim

Hoc opus, hoc ſtudium, parui properemus & ampli
Si Patriae volumus, ſi nobis viuere chari.

§. I.

De primarum viarum cruditatibus ac impuritatibus.

Inteſtinalis ſive cibarius tubus, qui a ventriculo ad rectum usque inteſtinum producitur, quem primarum viarum nomine Medici inſigniverunt, maximam merito ac præſtantiſſimam dignitatem ad proſperam hominum valetudinem conſervandam ſibi vindicat. Siquidem cibi, quorum ſingularem adpetitum natura cuique animalium dedit, vbi ore excepti, in eoque vel leviter præparati ſunt, per oeſophagum in ventriculum deſcendunt, in eo digeruntur, utque laudabilis ex iis ſuccus ulterius præparari, educi ac abſorberi queat, lentiſſimo motu per inteſtinalem longiſſimum tubum feruntur. In eo vero cibi inſignes mutationes experiuntur. Nam qui animali naturæ non ſatis apti extiterant, coquuntur, novis humoribus remiſcentur & a cocta denique materie id abſorbetur, quod nutritioni corporis, ſanguini inſtaurando ac aliis muniis perficiendis idoneum eſt. Reliquum in feces mutatum ex alvo demittitur.

Neque vero ſemper fit, ut cibi eo modo coquantur, atque per inteſtinalem tubum promoveantur, ut omne id, quod a cibis fuerat praeparatum, uſibus ſuis aut impendatur, aut evacuetur. Accidit e contra ſæpius, ut rudes cibi in ventriculo diutius, quam par eſt, hæreant, & hoc modo inſignem acredinem, & a naturali alieniſſimam qualitatem nanciſcantur. Quod, quia a ſola digeſtionis vi deficiente, aut a duris nimis ac difficilibus cibis pendet, ipſumque id, quod in ventriculo hæret, coctionis vires aut nullas, aut imperfectas ſaltim fuerat expertum, *crudum* Medici vocaverunt. Vbi vero mole quadam hæ impuræ ciborum quiſquiliæ eſſent collectæ, *cruditatum* eas nomine inſigniverunt.

Huic impuritatum ſpeciei ventriculus frequentiſſimam ſedem praebet, ipſaque tam frequenter homines ſolet infeſtare, ut aegritudinem nullam norim, quæ cum ea, ſi frequentiam reſpicias, ullo modo poſſit comparari.

Verum aliud adhuc eſt genus eorum, quæ præternaturalem in modum collecta in cibario tubo ſunt, quod ego impuritatum magis aut ſordium, quam cruditatum nomine inſignirem. Accidit videlicet, ut aut a liquorum, quos digeſtioni ciborum inſervire

docuit medicinæ ea pars, quam Phyſiologiam vocant, corruptione, aut a ventriculi infirmitate, aut ab ipſa ingeſtorum mala indole plura in ventriculo ac inteſtinis e cibis remaneant digeſta quidem, neque crudos cibos referentia, rerum vitioſe cocta ac inſigni acredinis vi prædita.

Haud raro denique evenit, ut humores qui digeſtioni inſerviunt, meraci in primis viis colligantur easque ſtimulent. Quod, quamvis raro cum pancreatico ac aliis humoribus, quæ ſalivam referunt, fieri quidem arbitremur, in bile tamen ſæpius fieri, latet neminem. Hæc enim vel ſola ſua quantitate, ut GALENI verbis utar, poteſt eſſe aliena.

§. II.

Variae cruditatum ac impuritatum ſpecies.

Ex iis, quæ iam expoſita ſunt, facile æquus lector mentem noſtram de impuritatibus primarum viarum perſpiciet. Proximum eſt, ut ſpecies earum exponamus, a Medicis obſervatas, ad quas, ubi Medicus in perſanandis hiſce morbis animum probe adverterit, non erit profecto, cur in ipſius morbi ſanatione anceps hæreat. Siquidem & hodie ea mirifice quotidianus uſus ac multiplex experientia confirmat, quæ jam ab HIPPOCRATE COO dicta ſunt, *eum videlicet morbos probe poſſe perſanare, quem eorum cognitio non feſellerit.*

Satis incompoſitum illud vitium alimentaris tubi eſſe videtur, ubi penitus cibos digerendi facultate privatus eſt. Απεψιαν Græci, *cruditatem* Latini vocaverunt. Tunc videlicet accidit, ut diutius cibi in ventriculo remaneant, & eo facilius degenerent, quo magis calidus ipſe locus ſit, ac quo maior denique ipſis aſſumtis degenerandi, ac qualemcunque acredinem acquirendi facultas inſit.

Inde vero magis compoſitum ac valde memorabile impuritatum genus enaſcitur, e quo velut e communi quodam fonte, morbi per totum corpus facillime transfundi inſueverunt. Etenim difficiliores ex his colluviebus in primis viis non ſolum noxæ ſunt, verum peiores etiam ac pernicioſiores. Siquidem eæ, vbi in ſanguinem transfunduntur, totam eius maſſam conſpurcant, ac peſſima labe ſubinde inficiunt. Nec primæ viæ a cruciatu liberæ manent. Vt

vero hæ impuritates eo melius cognoſci queant, præcipuas earum ſpecies recenſere convenit.

Conſtat inter Medicos *acidam* ſubinde e cibis male digeſtis generari in ventriculo materiem, inteſtina æque ac partes alias in abdomine poſitas evertentem atque irritantem. Et contrarium quoque hic obtinet. Siquidem haud raro & alcalina acrimonia a ciborum ex animali præſertim regno petitorum quisquiliis generatur. Maxima mala *putrida* primarum viarum impuritas creare ſolet, quæ niſi ſtatim ſuffocetur, totius maſſæ ſanguineæ morbum facile accendit. Exploſa enim iam dudum ea Medicorum ſententia eſt, nullam putredinem veram in vivo corpore poſſe generari. Et ſane, ſi confirmatione adhuc quadam putredinis veræ origines in vivo corpore indigerent, ex putridis ventriculi impuritatibus, qui contrarium ſtatuere adniſi fuerunt, facile poſſent coargui. Si quidem in cibis permulti ſunt, qui iam, vbi putredo in iis exorta eſt, adſumi conſueverunt. Et quid quæſo, aliud accidit, vbi ventriculi vis aut nulla, aut exigua eſt, quam quod a ſtagnatione ciborum in loco tam calido, quem ventriculus ipſis præbet, putridum magis evolvatur & acuetur? a). Ad eandem aſſumtornm corruptelam & *alcalina* pertinet, de qua ſupra iam expoſuimus, & *nidoroſa*. Eæ enim facillime in putridam degenerare ſolent.

Vltimam impuritatum e cibis aſſumtis oriundarum ſpeciem *pituitoſæ, viſcidæ*, ventriculo ac inteſtinis firmiter adhærentes, ſatisque diu Medici qualemcunque operam ludentes conſtituunt. Accidit nempe, ut e cibis, qui aut difficulter & a ſaniſſimo homine digeruntur, aut copioſam iam naturali modo pituitam continent, evoluta viſcida eorum materie, ac in alimentari tubo ſuperſtite, eiusmodi materies permultis morbis chronicis generandis idonea colligatur.

Supereſt alia adhuc ventriculi ac inteſtinorum impuritas, quæ a mala humorum, ciborum digeſtioni inſervientium indole proficiſcitur.

a) Aſſeverarunt adeo quidam Medici, vel eam ſolam ob cauſſam morbos putridos pro iis eſſe habendos, qui genus humanum primum exercuerint. conf. MARTINI V. *Praenob.* Diſſ. *de primis miaſmatum morboſor. originibus.* Halæ 1776.

ſcitur. De ſalivalibus ventriculi humoribus hic exponere non neceſſe eſt, quum eorum mala indoles, raro ad impuritates referri queat. Verum id, quamvis de cæteris ventriculi humoribus omnibus valeat, de bile ſaltim haud valet. Siquidem ea tam facile a naturali ſua, ac benigna indole degenerat b), ac tanta ſubinde in ventriculo copia colligi inſuevit, ut peculiaria ſymptomata, eaque ſatis dira, infra recenſenda, ab ea contrahantur. Poteſt autem huius ſpeciei duplex ratio cogitari. Accidit videlicet, ut aut bilis icborum ſordibus remixta in inteſtinali tubo hæreat, aut ut bilis meraca, eaque acris in ventriculo effuſa reperiatur c).

§. III.

Enarratio ſymptomatum.

Vbi autem primarum viarum cruditates ac impuritates ægrum infeſtant, eas ſequentibus notis cognoſcere licet. Impuritates in ventriculo eſſe indicat obtuſus circa præcordia dolor, ad inteſtina usque protenſus, ac præcordiorum oppreſſio. Ipſe ventriculus interdum inflatus eſſe ſolet. Simul omnis ciborum appetentia proſtrata ac nauſea præſto eſt. Subinde quoque vomendi conamina, ac ipſum adeo vomitum ægri experiuntur. Præcordia dura & inflata ſunt, ac fœtidi flatus ex alvo feruntur. Alvus vero aut cita eſt, aut penitus ſuppreſſa. Os male fœtet, ac quæcunque ab ægro aſſumuntur, amara ei eſſe videntur. Aer ſæpe fœtidus ex ventriculo eliditur. Lingua ac dentes impura colluvie conſpurcati ſunt d). Vrina ut plurimum alba ac tenuis redditur. Hæc

b) Id in noſtris frigidiuſculis regionibus frequenter evenire præ cæteris evicit vir quondam doctiſſimus BIANCHI; *in hiſtoria ſua hepatica;* frequentiſſimum vero regionibus torrida Zona incluſis eſſe docuit HILLARY, in eleganti ſuo L. qui inſcribitur: *von den Veränderungen der Luft auf Barbados* Leipzig 1776 in 8. p. 74.

c) Eius ſubinde in cholera in primis ac aliis morbis inſignem vim effundi docuit ALEXANDER TRALLIANVS, *L. VII. Cap. 15. p. 375.* ſec. edit. græco-lat. IOH. GVINTERII. Baſ. 1550. 8.

d) Et hoc fere princeps ſignum eſt, ex quo ſordes cognoſcuntur, idque ab omni inde tempore diligenter fuit obſervatum. Conf. L. qui hodie rarioribus adnumerari inſuevit, PROTHI CASVLANI *de Lingua.*

Hæc ex ipſo loco affecto ſymptomata progerminant. Sed plura adhuc ægros infeſtant, quibus imbecillitatem, ac malum quendam per totum corpus diffuſum ſenſum, & mira denique illa ſymptomata, quæ ex inſigni viſcerum abdominalium cum capite conſenſu naſcuntur, adnumeranda veniunt. Quamvis enim hanc conſenſionem explicare difficile ſit, non eſt tamen, quod de ea penitus dubitemus f). Etenim raro evenit, ut ex inteſtinis laboranti caput ſanum ſit. Frequentiſſime eiusmodi ægri capitis doloribus, ſtupore quodam, vertigine, aurium tinnitu, aut ſaltim animi quodam languore detinentur. Viſus hebetudinem, aut defectionem, Amauroſin vocant, viſum duplicatum, intenſam nimis ſenſationem, quæ auribus fit, ac alia, minus frequentia penitus ne nimis hi noſtri labores dilatentur, prætermittimus.

Hæc ſymptomata omnibus primarum viarum cruditatibus ac impuritatibus communia eſſe ſolent. Verum quæ acida, quæ putrida, quæ pituitoſa, quæ denique bilioſa impuritas excitet ſymptomata, ſcire intereſt.

Acidam ſaburram collectam in ventriculo eſſe concludito, ubi æger ructus acidum redolentes emittit, ubi dentes ab aſcendente humore eroduntur, ac ubi denique ægro ciborum, ex animali regno deſumtorum permagna cupiditas eſt. Qui *putrida* impuritate detinentur ægri cibos haud adpetunt, ructus nidoroſos emittunt, ac male fœtida, liquida utplurimum & copioſa ex alvo egerunt. Tumidum abdomen, ac inflatum eſt, cæteraque communia impuritatum ſymptomata præſto ſunt. Vbi vero *pituitoſa* colluvies in primis viis hæret, lingua albida & tenaci cruſta obducta eſt, pituitoſos vomitus ea adfecti experiuntur, & ex alvo mucoſa demittunt. Vbi altiores morbus radices egit, totius corporis habitus malus eſt. *Bilioſa* colluvies linguam flavam reddit, aut ex flavo colore albam, vbi pituita cum bile in ventriculo juncta eſt. Tormina ægrum perpetuo fere vexant. Alius mox cita, mox vero tnada

f) Conf. RAHNII V. Cl. diſſ. de miro, quod inter caput & viſcera abdominis eſt, commercio. Gœtt. 1772.

tarda eſt, ac bilioſa demittit. Vomitus bilioſi ſunt; ſimul nauſea perpetua præſto eſt.

§. IV.

Cauſſarum enarratio.

Quum morbus tam frequenter homines exerceat, plures quoque illum producentes cauſſas agnoſcat, neceſſe eſt. Facilius in morbum incidunt, qui infirmitatem muſculorum quandam habent, qui in vrbibus degunt, corpus parum exercent, mulieres, quibus tenerae, aut ſenes, quibus nimis rigidæ fibræ ſunt. Cæterum & vitæ genus molle ac educatio nimis mollis ad hunc morbum diſponunt. Frequentiſſime autem morbus producitur a nimia ventriculi relaxatione, ac a vi cæterarum partium, qua digeſtio ciborum mirifice promovetur, abolita. Adeoque facile perſpicitur, vitam ſedentariam inter plura alia mala & hoc inducere. Neque aliter agit intenſa nimis animæ agitatio. Evenit quoque, ut ab intenſo nimis ventriculi motu eadem mala proveniant. Siquidem tunc cibi nimis magna celeritate e ventriculo ferantur, neceſſe eſt, iique quum crudi adhuc exiſtant, indigeſtos ſuccos per inteſtina fundunt. Id vero eo frequentius fit, ubi ipſe pylorus relaxatus eſt, aut ubi acida materies per inteſtina diffuſa eſt.

Ad easdem cauſſas et calloſitas ventriculi pertinet, quæ ab ingeſtis inprimis cogentibus frumenti videlicet ſpiritu, contrahitur: nec non nimia ventriculi laxitas, rigiditas & atonia. Et a ſcirrho, ulcere, vulnere, abſceſſu ventriculi iidem effectus expectandi ſunt.

Frequentiſſima autem impuritatum cauſſa in alimentis & potulentis poſita eſt, quæ ubi nimis magna copia aſſumuntur, vim ventriculi inſignem in modum debilitant. Vbi vero nimis exigua eorum copia eſt, acrimoniam in humoribus ventriculi generari, neceſſe eſt.

In ipſis vero cibis nullus fere eſt, qui non, præſente diſpoſitione impuritatem ventriculi aliquando fecerit. Huc inprimis vero faciunt cibi digeſtu difficiles, tenaces, pituitoſi, glutinoſi, pingues, carnes nimis duræ, legumina, cibi e farina cum butyro, oleo &c. præparati. Nec olera adeo, hoc vitio vacant, ubi aut in eorundem copia exceditur, aut ventriculus ea ferre nequit. Bilioſam impuritatem poma ſubinde in generant. Quum

omnis potus nimius ventriculi fibras relaxet, facile intelligitur, & hunc ſæpe impuritates progenerare. Vbi autem vis eius relaxans a calore adhuc intenditur, non eſt, quod dubitemus, quin eo facilius idem effectus ab intenſiori hoc calore poſſit expectari.

Vires quoque digeſtionis vehementer debilitant & impuritatibus ventriculi anſam præbent, nimiæ humorum ſalivalium iacturæ. Hoc hodie per nicotianæ uſum nimis frequenter fieri unicuique notum eſt. Et huc quoque conferunt potulenta non tanta quantitate ſumta, quanta ad cibum probe diluendum opus eſt; ac denique potulenta digeſtioni ciborum minus facientia. Huc quoque mala ciborum præparatio, neglectaque maſticatio pertinet. Quum omnia, quae corpus extenuant, digeſtioni ciborum obſint, facile intelligitur, vigilias nimias, ſtudia nimis intenſa, ac animi adeo affectus ad cauſas impuritatum in ventriculo collectarum pertinere. Quem enim fugit moeroris ſumma vis, qua digeſtioni obeſt? Quem latet irae vis, quam in bilem exercet?

In ſomno omnia tarde geruntur, adeoque & hic vbi nimis diu protrahitur, ciborum digeſtioni vehementer obeſt, inprimis vbi ſtatim poſt aſſumta alimenta contrahitur. Denique nec HIPPOCRATEM g) latuit, ſomnum corpus macerare, indeque SWIETENII aſſertum h) conprobatur, quo conſtat, omnium animalium habitum ſomno ſuperato, tumidum reperiri.

§. V.

Methodus medendi. Indicationes.

Laeditur a ſordibus digeſtio, eaeque, vbi diutius in ventriculo haeſerint, morbos mortiferos ſaepe creant. Quam ob cauſſam Medicum horum morborum curationem ſuſcipientem id intendere oportet, vt impuram colluviem, quam citiſſime poteſt fieri eliminet, tonumque ac priſtinum ventriculi robur reſtauret. Ex his id patet, quod in curatione huius morbi agendum eſt.

I) Videlicet vt impuritates eo facilius educantur, praeparatione quadam opus eſt: deinde

II)

g) HIPPOCR. de victu ſanor. L. II. §. 10. p. 474. in T. VI. Ed. CHARTERIAN.

h) Van SWIETEN in Comm. in Boerh. Aph. 35. p. 45. TOMO?

II) Via, qua ipsa impuritas primarum viarum vergit, ea educenda est.

III) Sublata materia peccante, vim primarum viarum restituere, malos humores corrigere, verbo id agere expedit, vt & futurus morbus avertatur.

§. VI.

Quomodo impuram materiem resoluere expediat.

Vbi itaque impura primarum colluvies aliquem occupauit, is ab omni cibo abstinere ac aquam, eamque frigidam, aut saltim egelidam potare debet. Corporis motus, ac consueta eius exercitia revocanda sunt. Caetera omnia, quae in corpus sanum cadunt, inprimis res non naturales moderatae esse debent.

Conueniunt autem inprimis ad mouendam colluuiem, ea remedia, quae digestivorum nomine Medicis nota sunt. Eorum autem quum quaedam minus sint efficacia, ea adponere placet, quibus maximam vim esse ex exemplis medicis constat.

In *pituitosa* impuritate inprimis salis ammoniaci vsus eximius est, quo saepius febres intermittentes ex eodem fonte progerminantes persanatas esse legimus. Is partim solus praescribitur, partim vero etiam cum alio sale medio, sale mirabili Glauberi, arcano duplicato, tartaro vitriolato, aut etiam cum tartari cremore. Et huius quidem connubii vires ad incidendam pituitam maximas nos saepius sumus experti. Vtiliter his medicinis & rhabarbari quid adiicitur. Neque tartari sal aqua solutum in hoc casu alienum est.

Putridam impuritatem resolvunt tartari cremor, & e quo insigne saepe aegris solatium accepisse vidimus, sal essentialis acetosellae cum sacharo & flauedine cortium aurantiorum Curassauiensium datus, neque teneriores sales medii, tartarus tartarisatus, terra foliata tartari, sal polychrestus de Seignette, ac alii alieni sunt.

Nec *biliosam* colluuiem, subito ab ira præsertim collectam statim educere inprimis per vomitum expedit. Ac vbi acrimoniam bilis in primis viis haerens contraxit, ea semper temperanda est, antequam ipsius eiectio tentetur. Conducunt itaque nitrosa cum absorbantibus iuncta & eum quoque in finem mirifice prodest potio, quam antemeticam vocant, a RIVERIO inuenta, nec non

 rhei

rhei tinctura, paruis dosibus data, aut quoque tamarindorum pulpa cum medio quodam sale aqua soluta, ac paruis dosibus per vices data. Victus ex pomis coctis, fructibus horraeis siccatis cum aqua coctis, ac potus mucilaginosus ex decocto hordei cum aceti pauca quantitate maxime proficuus est.

In *acida* impuritate tartari salem aqua solutum adhibere expedit, vesperique pilulas ex sapone cum extracto taraxaci & fumariae paratas. Nec eadem remedia cum taraxaci aqua per fermentationem parata a DELIO V. Ill. inuenta exhibere prorsus alienum est. *Alcalina* impuritas eodem modo ac putrida praeparatur.

Fuere, qui emetica parca dosi sumta eodem scopo commendarent. Ego vero, quamuis his medicinis de insigni sua efficacia quid detrahere haud audeam, tamen digestiuorum vsum iis in soluendis impuritatibus semper præferrem. In pituitosa autem impuritate, vbi multa ac valde viscida pituita collecta est, non est, quod aut tartari emeteci cum multa aqua excepti ac parcis dosibus dati aut ipecacuanhae quoque vsum repudiemus. Siquidem his remediis tanta potentia in soluendis humoribus est, vt nullis fere cedant i).

Ipsa autem hac materiae morbidae praeparatione haud semper opus est. Siquidem vbi impuritas satis diluta, mobilisque colluuies est, aut vbi grauiores noxae ex diu retenta colluuie metuendae sunt, tunc nulla primae indicationis ratione habita, statim ad *alteram* progredi conuenit.

§. VII.

Quomodo impura materies euacuanda sit.

Quibus praemissis transitus ad secundam, eamque potiorem indicationem est. Scilicet resoluta materia impura, evacuantia adhibere convenit. Eorum autem, quum duplex genus sit, aliaque vomitum concitent, alia alvum moveant, iterum diligenter debet medicus attendere ac iudicare, vtrum alvina dejectione aucta, aut vomitu opus sit. Siquidem vt in quavis febre corticem peruvianum,

i) Conf. PYE V. Cl. de vsu rad. Ipecacuanhae paruis dosibus datae multifario in L. Anglico, qui inscribitur: *Medical observations and Inquiries* Vol. I.

vianum, ita & in quavis impuritate emetica aut purgantia haud promiſcue adhibere conuenit.

Primum de remediis loquar quae vomitum citant. Ea tunc demum dari debent, vbi ſurſum materia turget, & per purgantia longe difficilius educeretur, aut, quod fere idem eſt, vbi impuritati ſedem ventriculus immo & duodenum præbet. Nec tunc emetica aliena ſunt, vbi viſcida, pituitoſa ac tenaci materie primæ viæ repletæ ſunt. Hæc enim ſolis fere emeticis obtemperat. Denique, vbi vel levius malum in corpore eſt, quod data emetica medicina poſſet recrudeſcere, vtilius longe ab illius vſu abſtinetur & purgantia dantur.

Vbi itaque ex ſignis medicis cognoſcimus,materiam morboſam in ventriculo potiſſimum hærere, vbi ſenſus repletionis & ponderis in ventriculo ac præcordiis percipitur, ructus aut inſipidi, aut quod ſæpius accidere ſolet, nidoroſi, bilioſi aut acidi præſto ſunt; de oris foetore amaro & nauſeoſo ſapore in ore ac de nauſea æger conqueritur; vbi lingua ſordida eſt, ac ſpontanei vomendi conatus in vomitum ſubinde mutantur, eoque cum inſigni ægri levamine viſcida, rancida, acida aut bilioſa cruda mâteries eiicitur, datis vel leuibus medicinis hanc excretionem, ab ipſa natura ac ab omnibus ſuis ſignis indicatam promovere convenit. Poſſet hic vrgeri a quibusdam magis placidam evacuationis aluinæ viam eſſe, motus multos hac ipſa ratione evitari, & tamen per alvum materiam impuram feliciter poſſe eiici. Verum enim vero quum ſatis ſubinde difficile ſit, materiam ſurſum vergentem per alvum educere, facile intelligitur, omnia hæc parum aut nihil penitus ad emeticorum dignitatem debilitandam valere. Nec quam producere dicuntur, commotio vehemens tam inſignis eſt, dummodo mitia, eaque ſatis iuſta doſi adhibeantur: eaque tantum abeſt, quod noceat, vt ſæpe potius fortior corporis ac partium internarum ſuccuſſio requiratur. Denique & hoc emeticorum vſui notabile pondus addit, quod haud raro eorum vſu & alvus provocetur. Neque his tamen ego vomitoria nimium extolli velim. Etenim ea caute ſemper & circumſpecte a medicis danda ſunt; quum, dum adhibere ea velit medicus, ſemper ad temperamentum, ætatem, ſexum, idyoſincraſiam ſui ægri & ad alias in corpore præſentes circumſtantias, contraindicationesque reſpicere debeat.

 §. VIII.

§. VIII.

Continuatio.

Porro diiudicemus, necesse est, quænam danda sint emetica. Siquidem in tanta remediorum ad eundem vsum laudatorum farragine multa sunt, aut noxia aut saltim non cuivis homini satis accommodata. Quapropter eorum celebratissima quæque recensere placet. Tutissimum pæne omnium & satis tamen simul efficax ipecacuanha est, a C. PISONE primum fere descripta, non tam vomitum concitandi potentia, quam purgandi etiam & spasmos sopiendi vi gaudens. Ea vero aut sola præscribi in pulvere ad scrupulum vnum solet, aut sacchari quid illi adiicitur. Vbi vero pulverem corticis elegeris, grana quædam sæpe sufficiunt, quoniam in cortice omnem eius pæne vim latere compertum est.

Longe tamen præferenda ipecacuanhæ infusio est, quæ, vbi inprimis oxymellidis quid adiicitur, non maiori solum pituitam solvendi facultate gaudet, verum etiam longe tutius, ac in priori forma exhibetur. Ac infantibus adeo, nescio quæ alia emetica medicina vtilius dari queat, quam eadem illa per vices parca dosi, donec vomitus concitetur data, ipecacuanhæ infusio. Sunt, qui Asari radicem magis ament, eaque, quoniam in Germania sua sponte provenit, ac facile comparatur, iam eam solam ob causam ipecacuanhæ esset præferenda. Nec vomitum provocandi potentia illi denegari potest. Quum autem hæc e vegetabili regno petita remedia parca dosi data interdum expectatos effectus haud edant, ob nauseosum suum saporem a permultis haud facile sumi queant, ac interdum adeo non satis intensa vi morbidam materiem eiiciant, e minerali regno petita fortiora, adeoque & caute magis adhibenda, medici præceperunt. In iisque Tartarus emeticus palmam cæteris omnibus facile eripit, cuius videlicet in solvenda ac fortiter eliminanda pituita effectus satis extolli nequeunt. Vbi itaque hæc materies aut sola, aut alio humore remixta insigni copia collecta, ægrique habitus talis est, vt adversi affectus ex succussione & commotione nimia haud facile expectari queant, vtique Tartarum emeticum exbibere consultius esse arbitror, qui præterea & ob exiguam, qua sumi solet, dosin gratum ac congruum medicamentum præbet, quod citissime irritat & vomitum promovet. Ad dosin, quod attinet

tinet illius, vbi per inſpiſſationem paratus eſt, tria grana adulto ac vegeto homini, cum aqua & oxymellidis aut mellis quoque pauca quantitate, ſufficiunt. Expedit vero & hoc medicamentum parca doſi repetitis vicibus ingerere, vt eo melius ex effectu ſufficiens medicinæ quantitas poſſit determinari. De connubiis huius medicinæ infra dicam. Denique & inter ſelectiora emetica ſulphur antimonii auratum tertiæ præcipitationis pertinet, quod quidem haud ignobilem ſibi vindicat in pituitoſa præſertim colluvie eiicienda efficaciam, & a duobus ad ſex in adultis adhibetur grana. Eadem de vino antimoniato HVXHAMI, & de ſyrupo emetico valent, qui infantibus præſcribi conſuevit. Potuiſſemus in emeticis recenſendis orationem noſtram mirifice dilatare, eorumque plura adiicere, a medicis ſæpius adhiberi ſolita, ſquillam in pulvere vel ſolam vel cum radice vincetoxcici remixtam, gratiolæ herbam, vitriolum album, Gillam THEOPHRASTI, ac alia infinita. Verum ſupra tradita ſufficere putavimus. E ſquilla paratum oxymel alius medicinis emeticis, ad vim earum augendam ſæpius vtiliter adiicitur.

§. IX.

Combinationis emeticae cum alvum laxante medicina vtilitas.

Quum quamvis ſurſum turgere videatur materies, tamen quædam colluviei particula in inteſtinis facile hærere queat, neque alvum paululum concitari in quavis primarum viarum impuritate prorſus alienum ſit, facile patet, quantam hoc connubium ſibi vindicet dignitatem, quoad mox ſuſcipiendam purgantium medicinarum vim inteſtina quaſi præparantur. Quam ob caſſum omnia pæne emetica remedia cum alvum ducente medicina coniungere admodum proficuum eſt, rheo videlicet, aut quod frequentiſime fieri inſueuit, ſalibus mediis, quæ ad unum ſcrupulum aut ad dimidiam adeo drachmam emeticis medicinis utiliſſime adiiciuntur. In febribus inprimis intermittentibus, vbi periculum quoddam in mora eſt, hæc mixtio a quibusdam magnis laudibus extolli ſolet, qua non ventriculus ſolum, verum & ipſe inteſtinalis tubus feliciſſimo ſæpe eventu purgatur.

§. X.

De aluina purgatione.

Expoſito nunc emeticorum vſu, quæ vbi commotio vehemens

præ

prægreſſa eſt, ac vbi in inteſtinali tubo labes hæret, dari haud facile debent, proximum eſt, vt de alvina purgatione loquamur. Ea autem data emetica medicina, vtplurimum neceſſaria eſt, eaque non data debet inſtitui, vbi ponderis ſenſum & moleſtam abdominis tenſionem æger percipit, borborygmos experitur & flatus ſurſum deorſumque demittit, vbi hypochondria tument, abdomen inflatum eſt, ac oppreſſio quædam in infimo ventre obſervatur; vbi alvus aut adſtricta eſt, fecesque moleſte ſecedunt, aut cita nimis lubricave exiſtit.

§. XI.

Continuatio.

Signis perſpectis, e quibus materies mala in inteſtinis hærens cognoſci ſolet, proximum eſt, vt de medicinarum, ſordibus eiiciendis idonearum iuſto debitoque ſelectu, quædam præcipiamus. Et hic inprimis medicus id attendere debet, vt ex tanta remediorum mole iuſta & ægro ſuo reſpondentia ſeligat. Vbi autem pituita in inteſtinis collecta eſt, ſalia media alvum ducentia admodum proficua ſunt ad vnciam dimidiam, vsque ad vnciam data. Eminent in iis ſalia fontium, nempe ſal Anglicanus, Ebshamenſis, Sedlicenſis, Seydſchützenſis, Egranus, Fridricianus, a DELIO V. Ill. nuper deſcriptus, thermarum Carolinarum & mirabilis Glauberi in aquæ ſufficiente quantitate exhibita. Salia hæc effectum ſuum ſat cito & ſat bene, ac ſine vlla commotione & dolore fere exſerunt; indeque facile patet, ea matutino tempore potiſſimum eſſe adhibenda. Id vero monendum eſt, ex iis talia debere eligi, quæ parum irritant; & hæc dignitas certe in ſalem mirabilem GLAVBERI a fratribus GRAVENHORST paratum haud cadit, qui ob cupreas forſan, quæ in eo continentur, particulas ſæpe tantam tamque dolorificam purgationem, tantosque vomitus produxiſſe a nobis obſervatus eſt, vt animus ægris haud raro defecerit, ipſique in morbum attonitum ſubinde inciderint. Salia denique ob debilitatem, quam poſt ſe trahunt ægris iam naturali modo debilibus exhiberi haud aut parum frequenter ſaltim convenit. Verum, quum pituitam aperte ſolvant, illis tamen medicina haud facile carere poteſt. Senſibilioribus vero, debilitate inteſtinorum laborantibus, cruditatibus341bilioſis, nidoroſis flatibusque detentis vtiliter radix rhabarbari eiusque

præ-

præparata, in ſubſtantia cum ſale polychreſto GLASERI vel alio quodam ſale medio commendari ſolent. In omnibus autem fere cruditatibus, ſatis magna copia collectis, & præſertim, vbi abdomen a viſcida materie diſtenditur, Jalappæ radix vtiliter datur, quæ phlegmaticis inſuper & parum irritabilem fibram habentibus inſigni cum emolumento cum ſale medio vtplurimum præſcribitur. Neque infantibus hanc medicinam parca doſi datam prorſus alienam eſſe puto, quamvis non negem, rhabarbari radicem, vbi tener ventriculus eſt, ialappæ præferendam eſſe. Jalappa cum ſale polychreſto GLASERI, aut cum ſaccharo datur. Proſtat & ialappæ reſina in officinis a lippis, tonſoribus ac pharmacopœis frequenter præſcribi ſolita. Nec medici eam averſantur, præſertim cum amygdalis tritam, ubi fortiori ſtimulo opus eſt. Ex compoſitis, potio laxans *Viennenſis* & pilulæ balſamicæ STAHLII aut IVNCKERI, quæ olim frequentiſſime præſcribi ſolebant, in evacuandis cruditatibus & in obſtructionibus alvinis expediendis, congrua ſunt medicamenta. Vbi indurata ſcybala alvum tardant, Manna cum Tamarindorum pulpa & medio ſale cum aqua vtiliſſime datur; ſimulque clyſmata emollientia ac oleoſa in alvum iniiciuntur.

§. XII.

Quomodo robur inteſtinali tubo conciliare expediat.

Ad tertiam, ac omni pæne morbo feliciter ſuperato ſumme neceſſariam accedo indicationem, qua videlicet proſpera valetudo magis confirmatur. Etenim perpurgatis rite primis viis, iisque forſan ab infeſta purgantis medicinæ vi qualicunque modo debilitatis, robur earum decenter reſtituere, bonæ digeſtionis negotium reparare, naturamque languentem diligenter adiuvare nobis incumbit. In reſtituendo itaque fibrarum ventriculi & inteſtinorum naturali ſuo robore, partim ad debilitatem ægro naturalem, longeque iam autem morbum generatam, primis viis inſitam, eamque, quæ ab ingeſtis producta eſt, attendere convenit, partim vero ad rigiditatem alimentaris tubi, aut ſenilem, aut a perverſa diæta, verbi gratia, ſpirituoſis productam.

§. XIII.

Continuatio.

Debilitatum ſpecies prius enarratæ roborantibus ſeu ſic dictis ſtomachicis curantur, quamvis prior, teneritudo nempe nimia totius corporis, ac tubi inteſtinalis nunquam plane iisdem profligetur. Antequam vero ad ipſorum robarantium, quæ maiorem particularum fibras componentium cohæſionem producunt, uſum progrediar; haud incongruum eſt, WALDSCHMIDII celebre illud monitum adponere: „ *ſtomachica, inquit, debent eſſe temperantia, ne fortioribus remediis calorem nimium vel augeamus vel extinguamus, & ne fermentum reddamus acutius vel debilius: hinc præſtat pauca doſi & per intervalla remedia ſtomachica exhibere, quam vno impetu ventriculum remediorum mole obruere.* „ Inprimis conducit, vbi ſordium quarundam adhuc ſuperſtitum vel exiguus metus eſt, Rhabarbari radicem parcis doſibus, ita vt alvum nimis movere non queat, repetitis vicibus exhibere, donec omnis impura colluvies eiecta ſit, & poſthac vires fractas & commotiones officinæ digeſticnis inſtaurare. Eam ob cauſam poſt purgationes Angli opium frequenter exhibent, cuius ego uſum haud valde probo, vbi inprimis leviori medicina idem ſcopus poteſt obtineri. Præſtat peracta purgatione (niſi vehementiores motus ea produxerit, liquorem anodynum mineralem Hoffmanni, cui olei de Cajeput guttæ quædam adiectæ ſint, exhibere, ac generoſi cuiusdam, lente reſtringentis vini (quale Rheranum eſt) vſum præcipere. Ab his tranſitus ad ea medicamenta eſt, quæ vim nervorum fibrarumque ſpecifice quaſi inſtaurant. Et hic quidem ſupremum iure obtinent locum Cortex peruvianus, præcipue eius infuſum frigidum cum vino aut aqua paratum, ſive, quod tamen tanta potentia haud pollet, eiusdem extractum aquoſum; ſerpentariæ virginianæ & valerianæ radix, quæ in debilitate maximam ſibi dignitatem vindicant. Et his quidem ſolis, ceu potentiſimis tota ſæpe morbi ſanatio abſoluitur. Proſtant autem aliæ adhuc medicinæ, ſtomachicæ dictæ, quæ inſigni omnino gaudent virtute. In his eminent omnes plantæ ac radices amaræ: radix gentianæ rubræ, zedoariæ, lignum Quaſſiæ; herba Abſinthii, Menthæ, Centaurei minoris,

ris, Chamædryos, Chamæpytios, Trifolii fibrini, Cardui benedicti; nec non herba & ſummitates Millefolii cum floribus Chamomillæ, quæ in infuſo aquoſo vel potius vinoſo, aut extracti forma hypochondriacis viris hyſtericisque femellis vtiliſſime dantur. Quaſſiam cum ſaccharo medici præſcribunt. Menthæ eleoſaccharum eligunt, cæterarum plantarum & radicum infuſiones, aut (quod, vbi inprimis plantæ volatile principium parcum habent, ſemper magis præſtat) extractum cum aqua quadam deſtillata ſolutum, in qua ego aquam Menthae piperitidis cæteris omnibus præfero, præſcribunt. Nota ſunt ex his potiſſimum parata Elixiria viſceralia, e quibus KLEINIANVM & HOFFMANNIANVM, aliaque a BRVNNERO, R. de HAVTESIERK, MELLINO, GORTERO, BILGVERO tradita, ſeligi poſſunt. Vbi parca irritabilitas in corpore eſt, acria magis ac ſtimulantia expediunt, qualia ſunt omnia aromata, Imperatoriæ, Zingiberis radix, piperis grana, ſemen Cardamomi minoris, Winteranus ac Cinnamomi cortex & alia. Vbi cruditatibus acidis aeger laboravit, radix Helenii, Calami aromatici & Raphani ruſticani conducit. Ex præparatis, quæ in pharmacopolis proſtant, tincturæ martiales, Elixirium Vitrioli Mynſichti, chalybeata bene præparata alia pæne omnia, cortex aurantiorum, citri conditus & flores ſalis ammoniaci martiales, circumſpecte adhibiti, admodum vtiles medicinæ ſunt. Qui ventriculi perpetua infirmitate exercentur, multum ſolaminis ex aquis Spadanis & Pyrmontanis, adhibitis tamen antea Selteranis, ac debitis præparationibus accipiunt. His ſtomachica alia adiungi poſſunt.

§. XIV.

Stomachica externa.

Externe ventriculo adplicantur aquæ Reginæ hungariæ partes tres cum balſami vitæ HOFFMANNI parte, & nobili quodam vino partes affectæ perfricantur. Nec ſcuta ſtomachica prorſus aliena ſunt, quæ ex theriaca cum emplaſtro de tacamahaca parantur,

tur. Ac a Menthæ quoque oleo panis cruſtæ inſtillato ventriculoque impoſito haud parum auxilii expectari poteſt. Eundem in finem & panis cruſta vino generoſo macerata, & pulvere cariophyllorum, Nucis Moſchatæ &c. conſperſa convenit.

§. XV.

Quomodo rigidum ventriculum habentes agere conveniat.

Proximum eſt, vt de reſtitutione roboris eorum agam, qui primas vias, ſpirituoſorum inprimis vſu debilitarant. Eiusmodi ſubiectis convenit cum emollientibus leniora ſtomachica e regno vegetabili propinare, nec non extracta amara cum terra foliata tartari & aqua, aut vbi rude magis corpus eſt, cum Gummi ammoniaco & ſapone dare. Eadem methodus & in ſenili primarum viarum rigiditate valet, quæ tamen, quoniam effœtæ iam naturæ morbus eſt, penitus ſanari haud poteſt; adeoque novam ſemper cruditatibus generandis præbet occaſionem. In vtraque hac inteſtinorum nimia adſtrictione, ſerum lactis dulce, melicraton, hydromel, oxymel, ſaccharum, decocta avenacea, iuſcula e vegetabilibus blandis ac carnibus tenerioribus parata, præſtantiſſimi vſus ſunt. Etenim hæc remedia fibram blande laxant, terreis partibus maiorem aquæ copiam interponunt, facile digeruntur, ſimulque corpori maxime idoneum nutrimentum præbent.

Denique & hoc notari meretur, cuilibet homini omnes has traditas medicinas reſtringentes haud convenire, & phlegmaticis alia, ſpirituoſa videlicet & aromatica conducere, ſenſibilioribus vero leniora medicamenta & elixiria præſertim ex extractis amaris cum liquore terræ foliatæ tartari præcipienda eſſe. In quavis adſtrictione & eo reſpicere debet medicus, ne alvum nimis retardet. Hinc Rhei vſum roborantibus medicinis interponere haud alienum eſt.

§. XVI.

§. XVI.

Qualis victus ægris & convaleſcentibus commendandus ſit.

Supereſt, vt de victus ratione pauca dictis adiiciam. Ea cauſſæ ac morbo contraria eſſe haud debet, quoniam inde haud facile ſcitur, quid medicamenta proficiant. Quam ob cauſſam in quacunque cruditate, niſi fames ac adpetitus ciborum vrgeat, eſſe haud convenit, ſed naturæ hic penitus obtemperare. In acida ſaburra carnium eſus prodeſt; in alcalina autem expedit olera eſſe & acetum ſorbere. In bilioſa ſaburra, vbi præſertim bilis meraca eſt, blandis cibis ac irritationem ſopientibus vti maxime prodeſt. Nec pituitoſis acetum & mel obeſt, iique reſolventibus cibis veſcendi ſunt. Cæterum in toto morbo ac poſt eum parum at ſæpius eſſe, ſimul corpus movere, ac a duris difficilibusque cibis abſtinere, maxime convenit. Potus, ne inteſtina cum aqua quaſi macerentur, modice hauriatur. Prodeſt tamen evacuatis ſordibus frigida pota, cui vini quid adiectum ſit. Nec amara cereviſia aliena eſt. Cæterum & ſuperato morbo eandem victus rationem, ne intenſa vi morbus recrudeſcat, per temporis quoddam ſpatium, obſervare mirifice ægris expedit.

PRAENOBILISSIMO VIRO

CAROLO GOTTLOB SCHELLHASS

S.

IO. CHRIST. GOTTLIEB ACKERMANN

MEDICINAE DOCTOR.

Intensissima studia ac connamina hominum considerans, quibus animus mox in altum evehitur, mox velut in profundo mergitur, satis sane mirari haud queo, quanam ratione fiat, vt tam pauci metam sibi propositam feliciter pertingant. Siquidem & si medicos respicias, si & discentium medicinalem artem maxima studia contemplere, multine in iis sunt, de quibus certe potest praedici, eos quam dificillime boni ac laudabilis medici nomen esse adepturos? Adeoque Medicina haud levem operam, labores assiduos ac vim quandam iudicii requirit acerrimam ac ingenium omnes res ad amussim satagens atque peruestigans, quo non omnes polient, qui se medicos esse profitentur. Et hi quidem ὁμοιοτατοι εισιν τοισι παρεισαγομενοισι προσωποισιν εν τῃσιν τραγωδιῃσιν· ὡς γαρ εκεινοι σχημα μεν, και στολην, και προσωπον ὑποκριτου εχουσιν, οὐκ εισι δε ὑποκριται· οὕτω και οἱ ιητροι φημῃ μεν πολλοι, εργῳ δε παγχυ βαιοι. *Et haec verba Coi senis, viri divini, a cuius lectione semper incredibiliter recreatus discedo & hodie adhuc verissima sunt.*

Ego vero non sum nescius TE *industriam in medicina probe perdiscenda adhibuisse maximam, nilque eorum neglexisse, quae ad iudicii vim acuendam necessaria sunt. Hinc ego confido ac certus sum, fore vt arti olim ornamento sis, cui tam fideli opera operam dedisti. Idque vel dissertatio* TVA *probat, non medicis solum vtilissima, verum etiam parasitis, pransoribus, ganeonibus, aliisque huius forinae hominibus, qui, vbi hesternam coenam vix reliquere, statim prandium, post illudque novam coenam avidissime ingurgitant. Macte virtute* TVA *esto, ac felicitate, cuius certam expectationem merito* TIBI *potes vindicare, feliciter fruere! Vale Dabam Halae, die XVI. Mens. Octobris MDCCLXXVI.*

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

HVIVS

DISSERTATIONIS AVTORI

S. P. D.

D. VICTOR WILHELMVS FRIDERICVS WERTH

COTHENIO ANHALTINVS.

Quantum me ſemper inſignes TVAE eruditionis, pulcherrimarumque virtutum dotes delectaverint, vix verbis exprimere poſſum. Sæpius enim mihi aliisque commilitonibus gratiſſima fuit occaſio, TEcum converſandi, deque rebus ad medicinam ſpectantibus colloquia inſtituendi & ex inde non levem certe in TE perſpexi cognitionem. Optimum eruditionis TVAE documentum ſuppeditat hæcce TVA diſſertatio. Adſpicio enim eam & conſidero quacunque parte, & nihil niſi, conuenientiam, leporem, utilitatem & dignam in illa offendo grauitatem. Aſcende nunc cathedram & lucubrationes TVAS forti animo defende. Laetus iam gratulor (non, quia mos ita fert, ſed quia iuſta mihi eſt gratulandi cauſa), de honoribus in TE mox conferendis omnique iure promeritis. Gratulor amicis TVIS & mihi omnibusque amicitia TVA dignis de amico bonae notae. Gratulor aegrotis curae TVAE committendis. Gratulor optimis Parentibus de filio praeclarae indolis. Secundet ſummum Numen omnes TVOS conatus, eosque felici euentu coronet. Adferas ſemper aegrotantibus ſolamen, honorem praeceptoribus, gaudium Parentibus TVIS. Commendo me & impoſterum TVAE amicitiae. De me vero habeas, quod nemo ſit, qui TE amando cuidam cedere vellet. Vale. Dab. Halae. die XIV. Octobr. MDCCLXXVI.

PRAENOBILISSIMO CLARISSIMO AC DOCTISSIMO

DOMINO AVCTORI

HVIVS DISSERTATIONIS

S. P. D.

D. IOANNES MATTHIAS KORDALY

SKOTSCHOVI ATESCHINIENSIS SILESIVS.

Difficile sane est, Amice suavissime, verbis sufficienter exprimere, quantum me semper delectauerit propensio TVA, scientiam hanc, cui TE dicasti medicam, rite excolendi, ac insignes ingenii TVI, virtutum dotes, quibus in amorem & admirationem TVI omnium animos deduxisti. Qua ratione etiam consortium nostrum, hac in Academia institutum, ac amicitia nostra semper cum fructu coniuncta fuit. Sed inimica sors conditionis humanae, nobis dissociationem minatur, & nos hac dulcissima consuetudine amicitiae privabit. Quid ergo? licet eam doleamus, tamen oportet, vt fatis obtemperemus. Consultissimum itaque iudico, fore, vt TIBI de honoribus Doctoralibus mox legitime capessendis congratuler. Fortunet Deus omnes conatus TVOS, vt sis multorum morbis afflictorum, verum solamen, ac reipublicæ emolumentum. Sis ornamentum, sis honos Praeceptorum, ac Parentum TVORVM. Vive & vale in illustrationem Gloriae Summi Numinis, & quod facis, fac, vt me ames. Dab. in Alma Fridericiana, d. 16. Octobr. MDCCLXXVI.